



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Richardus Ep. 3. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

S. RICHARDUS EP. 3. Aprilis.

RICHARDUS natione Anglus fratris inopiam servilibus ministeriis voluntate susceptis, levavit, eidemque paternâ hæreditate, pactoque nobilis & opulentæ virginis matrimonio cessit. Dum litteris navaret operam, nullo certo vivendi præsidio, communi cum Sodalibus duobus pallio, vivissim scholas aditurus utebatur. In Episcopatus fastigium evehctus, cum honore, ut assolet, non mutavit morem, paupertatē à se fugientem velut elapsam bonam fortunam insecutus: aureis quippe argenteisque vasis in pauperum annonam expensis, præstare dicitabat, fictilibus, more parentis, cœnare, quàm Christum egenorum turbâ repræsentatum esurire. Uno pane mille homines saturavit, Deo voluntati benefaciendi facultatem suggerente. Aliquot suarum domorū incendium restrictæ ad largiendum manus vindictâ est interpretatus; & quos multi convicio à se manūque rejiciunt inopes, tanquam accepturus, non daturus beneficium, ad petendū blando affatu excitabat: cujus facti rationem postulatus, illud ex divinis literis protulit: *Domine prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Sub mortem notum Deiparæ cultoribus carmen à Sacerdotibus lectulo adstantibus iterari voluit:

O 5

Maria

218 VITÆ SANCTORUM. 3. April.

Maria mater gratiæ, Mater misericordiæ, Tu nos ab hoste protege, Et horâ mortis suscipe.

Immortuus est sacræ crucis complexibus ad annum M. CC. XLV. *Ex Surio.*

Dic mihi, ubi nunc amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiscum erant? quid ex eis remansit, nisi cineres & vermes? Attende quid sunt, quid fuerunt? homines fuerunt, sicut tu, comederunt, biberunt, riserunt & in puncto ad inferna descenderunt. Bern. l. Med. c. 2.

S. JOSEPHUS POETA C.

3. Aprilis.

JOSEPHUS avi sui Poëta clarissimus Thessaloniciæ & Byzantii vitam egit, qualem agere Musæ amant, à mundi turbis semotam. Parnassus ei cella, lectus terra: cibus panis, potus aqua fuit nam hâc, & non mero fluere Hippocrenen noverat. Hic ille sacrorum vatuum monumenta lectitare, in vota non vana Poëtarum nomina, Sed Numen vocare, atque ita demum pleno ore Calites canere. Porro in D. Bartholomæi laudes iturus, cum evocare omnes ex Helicone Musas gestirer, meditabundo ipse Divus adesse, & libro pectori admoto bene precari visus est. Non è Parnasso, sed cælo hoc fuit somnium. Nam deinceps versus **J**OSEPHUS non fecit, sed fudit,
ut